



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Capvt X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10996**

Rolandus, sed sexies & amplius mortuus. Gladius Rolandi *Durenda*, & tuba ejus eburnea, de quibus fabulator Turpinus *cap. 27.* ad Roncevallum ostenditur juxta *Leod. l. c.* Eundem tamen gladium asservari ajunt in oppido S. Dionysii propè Lutetiam, ut ex Schröteri *Hist. totius Orb. Terr.* probat Gryphiand. *cap. 12.* & quod magis, conspicitur pendens ad arcis Prusicæ portam in Turcia, quem Turcæ diligenter asservant: nam vulgus existimat Rolandum Turcam fuisse, dicente Petro Bellonio, *lib. 111. Observ. cap. 42.*

## CAPVT X,

1. **D**Omuit & Britones, qui ad occidentem in extremâ quâdam parte Gallix super litus Oceani residentes, dicto audientes non erant: missa in eos expeditione, qua & obsides dare, & quæ imperarentur
2. se facturos polliceri coacti sunt. † Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam
3. Beneventanis nî \* sese dederent, comminatus est. † Prævenit hoc Dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum & Grimoaldum cum magna pecuniâ obviam regi mittens, rogat, ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire cogeretur. † Rex utilitate gentis magis quam animi ejus obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eique ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit, unoque ex filiis, qui minor natus erat, obsidatus gratiâ retento, majorem patri remisit, legatisque ob sacramenta fidelitatis à Beneventanis exigenda atque suscipienda, cum Aragiso dimissis, Romam redit, consumptisque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam revertitur.

\*MS. dederentur.

## ANIMADVERSIONES

## AD CAP. X.

**D**Omuit & Britones) Aliquoties Britones à Carolo domiti sunt: primum anno 786. de quo Adelmus: cum ab Anglis & Saxonibus Britannia

F